

num Carracciolumque cum equitibus & militibus Raven-
nam misit . Guidus Ubaldus hostem fugiens cum se Pitili-
ianum in Hetruriam contulisset , diesque complures ibi
fuisset , Cæsare Pitilianum bello aggredi velle dictitante ,
ut illum interciperet , magno cum periculo per Senarum
& Florentinorum agrum in fines reipublicæ atque ad ur-
bem se recepit : cui a Senatu libra auri dono in sumptum
singulis mensibus constituta . Quoniam autem libido ea in-
ter cives creverat , ut quamplurimi sacerdotia , quæ habe-
re bonis artibus non poterant , Romæ coemerent , qua in
urbe ejus rei consuetudo facultasque ab Alexandro insti-
tuta late palamque invaluerat , Decemviri sanxerunt , si
quis in posterum id faceret , ejus bona fisco inferrentur ,
ipse ab urbe atque urbis finibus quandiu viveret exul esset .
Neque multo post Joannes Michael civis Venetus Cardi-
nalis , qui Pauli secundi Pontificis Maximi sororis filius
fuerat , Romæ veneno interiit , quod ei Alexander a præ-
fecto Michaelis epularum dari jussit . Causa interficiendi
hominem fuit aurum atque argentum , quod is habere exi-
stimabatur : quarum omnino rerum inexplebilis Alexandri
animum cupiditas ad omnem iniquitatem incendebat , uti
filio pecuniam exercitibus alendis suppeditaret , quo is Ita-
lorum principum regna occupare celerius posset se jam se-
ne . Minister veneni haud multo post , Julio Pontifice Ma-
ximo , re per indicium enunciata , in vincula conjectus ,
quæstione habita sui sceleris pœnas persolvit .

*Jo. Michaeli
Cardinalis
mors. IV.
id. april.*

Bajafetes interim induciis cum Sophi Armeniae rege initis ,
cum quo sibi atrox bellum intercedebat , ad bellum Vene-
tum solutor factus , animos , quos dejecerat , sumpsit , de-
que pace cum republica nihil se facturum dixit , nisi Ve-
neti Leucadiam sibi insulam restituerent . Patres de eo per
Admetis ad Andream Grittum literas perque nuncios cer-
tiores facti , ne diutius eo bello contererentur , pacem cum
Bajafete fecerunt , Leucadiamque insulam , cuius oppidum
magna impensa Pisaurus longe firmius jam communitius-
que fecerat , Bajafeti restituendam curaverunt , Pisauro
domum reditione permissa . Ea de pace uti Diis immorta-

*Pax cum
Bajazete.*